



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 39. Pontificis Statuta pro politico Urbis Romanæ Regimine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. XXXIX.

Sæcul. XVI.

A.C. 1585.

*Pontificis statuta pro politico Urbis
romanae regimine.*

Sixtus V. cum adhuc in Conventu san-^{Leti tom. I.}
ctorum Apostolorum moraretur, ac^{l. 6.}
postea purpura decoratus animadvertet,
quod ex Confessariis non pauci-
minus exacte adulterii peccatum a sim-
plicis fornicationis crimine discerne-
rent, hinc huic corruptelæ obviaturus
paulo post obtentum Pontificatum adul-
teria mortis supplicio esse plectenda de-
crevit, simulque iudicibus injunxit, ne
vitæ veniam ejusmodi sceleratis darent,
insuper in eos fedulo inquiri jussit con-
stituto etiam præmio illis omnibus, qui
hujus criminis reos coram iudice ac-
cusarent: plures etiam meretriculas,
quæ conjugatis turpi carnis consortio
assuevisse probabantur, in una die una-
omnes virgis cædi præcepit, unde tam
ingens terror in omnes effundebatur,
ut ferme nulla de tanto scelere memo-
ria in Urbe superesset: præterea om-
nes prostitutas mulieres æque, ac Ju-
dæos in quodam separato Urbis angulo
reclu-

stitutio non modo apprime utilis, sed etiam
pro publica tranquillitate, pauperum levami-
ne, & vitiorum extirpatione oppido neces-
saria sit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1585.

recludi decreverat: cum vero civitatis
 Gubernator id ob ingentem harum me-
 retricum numerum minime fieri posse
 exponeret, Pontifex intimo doloris
 sensu commotus ingemiscebat, quod
 permittere cogeretur, ut mulieres
 perditæ permixtim inter probos, ac
 honestos Viros degerent: nihilominus
 illas, quæ civibus majori erant offen-
 sioni, urbe ejici jussit, spe fretus, fore,
 ut imminuto earum numero ceteræ eo
 facilius includi possent, quocunque e-
 nim periculo suum propositum exequi
 decreverat: eapropter decretum con-
 didit, vi cuius Sacerdotibus, ac præ-
 cipue animarum curæ destinatis inhi-
 buit, ne mulieres, quæ ipsorum an-
 cillæ, vel œconomæ essent, in suis do-
 mibus retinerent, si exinde vel mini-
 ma populi offensio oriri posset, quini-
 mo Urbis Gubernatori mandavit, ut
 Religiosorum, & Sacerdotum moribus
 invigilaret, reosque severe puniret.
 Denique per universam ditionem Ec-
 clesiasticam Deputatos emittebat, qui
 frumentum ad exteras Regionem trans-
 ferri præpedirent, indictis severissimis
 pœnis contra eos, qui triticum alieni-
 genis venderent: unde ingenti anno-
 næ copia status Ecclesiasticus abun-
 dabat.